QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis Disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 17 Novembris 1718.

M. JOANNE-MATHÆO LE BERT, Doctore Medico, Præside.

An functionum integritas à spiritibus?

I.

ELEGANS automaton Corpus humanum stupendi artificii: hæc machina hydraulico-pneumatica motum habet à sanguine & spiritibus. Tota constat ex fibris & tubulis. Cor primum circuitûs agens: indesinenti sanguinis impulsu ad cerebrum, jugis est spirituum procreatio, quorum copiâ opus suum concitata quæque pars integram edit functionem. Scilicet ut communia partibus omnibus, sic ad omne opus necessaria instrumenta, spiritus. Sed horum indoles ætherea, mobilis; ut affluunt celeriter, celeriter effluunt; nisique continuâ instauratione compensentur, tuendæ vitæ, corpori sustinendo, impares. Hinc ut alimenti sic capescendi somni venit æqua necessitas. Alimento in sanguinem, sanguine in spiritum verso, quod ipsi decesserat corpori, accedit robur, & ligatis impeditisque per somnum sensibus, opposito velut aggere sistuntur spiritus, prohibeturque effluvium. Sic lassum paulò ante, penèque deficiens animal, post somni peracta munia, integrum surgit & vegetum; si quidem pleniùs uberiùsque suis in ergastulis coacervati spiritus, ad officia alacriùs redeunt.

I I.

FUNCTIONES aliæ independenter à voluntate exercentur, nonnullæ voluntatis nutum ſequuntur. Ad has & illas requiritur fibrarum debitus tonus, liquidorum affluxus, liber humorum circuitus. Quò liberiùs vaſa permeat ſanguis, eò faciliùs functio peragitur : quò meliùs à naturâ diſpoſita organa, eò perfectiùs proprias functiones edunt. Sanguinis circuitûs, fibrillarum oſcillationis cauſam, nullus eſt ſanæ mentis, qui in ſpiritus non refundat. Spirituum affluxu diſtenta turget fibra nervea, contrahitur, intumeſcente ventre, muſculus; in motus vermiculares aguntur inteſtina; ceſſat jugis ille ad partem ſpirituum affluxus? languet iners, flacceſcunt fibræ, concidunt glandulæ, dividendis & attenuandis humoribus impares ſucco hæterogeneo replentur, crudo humore turgeſcunt: Prima obſtructionum origo. A viſcido ſanguine, pituitoſiſque humoribus referto, quot & quanta mala humanum genus cruciant? Minùs liberè tunc per univerſum corpus diſtribuuntur ſpiritus animales. Hinc coquendi difficultas in ſtomacho, imperfecta bilis in hepate ſecretio, ſucci pancreatici in pancreate, imminuta vel ſuppreſſa inſenſilis perſpiratio. Quàm longè graviora accidunt incommoda, ſi nulli in cerebro ſecernantur ſpiritus. Affecto ſenſorio communi, præpedito ſpiritibus influxu, decumbit quaſi mortuum animal apoplexiâ percuſſum brevi, ni citò ſuccurratur, periturum.

I I I.

SINGULÆ corporis partes diverſis muniis obeundis à natura deſtinatæ : tam arctum habent inter ſe commercium, ut una ab aliâ in officio pendeat. Partes omnes fons nutritius ſanguis irrorat & alluit, ipſis nutrimentum ſuppeditando. A corde ad extrema corporis pellitur. Sed unde motus cordis? Totus pendet à ſpiritibus. In cerebri medullari ſubſtantiâ illi ſecernuntur. Secreti per proprios canales, nervos dixêre, ad omnes corporis partes ruunt. Ipſis oſcillant, tenduntur, criſpantur, convelluntur, contrahuntur, ac retrahuntur fibræ; in motum agitur quidquid oſcillat in cor-

pore ; pulſant cor & arteriæ ; muſculi quotquot ſunt moventur. A ſanguine diverſi liquores per propria ſecernuntur incernicula, per excretoria ſuperflui excernuntur, crudi concoquuntur, craſſiores attenuantur. Perfectâ tunc gaudet ſanitate vegetum animal. Cùm autem ceſſat jugis ſpirituum animalium influxus ; vel violenti motu, diuturno exercitio, vigiliis immodicis depauperatur ſanguis : tardo circuitu agitur, vix pulſat cor, flaccida partium omnium ſubſtantia, languet effœtum animal : corpus jacet iners, ni ſpirituum jactura reſtauretur, citò periturum.

I V.

SICUT ſpirituum fons, ſic ſomni ſedes cerebrum, ad ſecernendas partes ſanguinis ſubtiliores deſtinatum : has ſpiritus animales vocant. Ab uno eodemque principio, inſtar linearum, ducuntur nervi : hoc ſenſorium commune meritò appellares. Vivido ac jugi circuitu, muſculorum indeſinenti motu attenuatus, diviſus ſanguis copioſiorem ſpirituum materiam ſuppeditat. Corpus calloſum propriis rivulis ſubeunt ſpiritus, per nervos poſteà ad varia organa diſtribuendi. Cùm verò ſanguis eundo depauperatur, languent functiones ; vel ſi craſſis chyli partibus adhuc involvantur, minori copiâ per nervos affluunt : hinc ad munia obeunda impares. Tunc languido gradu fluens ſanguis, quaſi hebetum reddit animal, ſomnoque obrutum jacet iners. Vacant tunc ab opere organa ſenſibus externis deſtinata, ceſſant functiones animales. Partium vitalium fibrillæ ſpiritibus tunc magis turgidæ, vividiùs actus ſuos exerunt : arteriæ validiùs pulſant : cor contrahitur arctiùs ; ipſiuſque alterno motu, arteriarumque ſucceſſivo tritu, magis ac magis dividitur ſanguis : partes ipſius tenuiores ſic diviſæ ac comminutæ, in cerebri glandulas faciliùs irruunt ; quibus per nervos affatim diſtributis, tenduntur omnes corporis fibræ propriis functionibus de novo exequendis aptæ.

V.

REFECTIONIS igitur neceſſaria ratio, ſomnus, occluſis corporis totius oſtiis, ipſius egregiè ſumptibus parcens. Hac de causâ noctes dieſque ſe ſe viciſſim excipientes amavit ca-

713

duca viventium natura, ut diurnos experta labores, profundo noctis silentio quieti captandæ quasi provocata quiesceret, utriusque vicissitudine vigeret. Sic cadente de montibus umbrâ, quasi quiescere monitum animal, moveri cessat, ac sensim languentibus partibus sensus otiosi fiunt. Interim natura non alienis distracta rebus, totá domesticis incumbit, ingesta feliciùs coquit alimenta; unde laudabilis cum sanguine permixtus chylus, mox in spiritus animales elaborandus defertur, donec sufficienter resarcita natura, ad exteriora de novo propellat. Sic quieti succedit motus, qui sopitas partes titillando excitat, humores recreat, partibusque singulis dispensat. His tamen alternis uti animal necesse est: nimio somno languerent partes, fibræque nimis flaccidæ sensationis expertes forent; sed tota vanesceret virtus partium elastica, si immodicis implicatum vigiliis animal nusquam somni quiete frueretur, dissipatisque continuò viribus, fatisceret facultas omnis, rueretque tota animalis œconomia.

Ergo functionum integritas à spiritibus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Hyacinthus Theodorus Baron, Professor designatus.

M. Joannes-Nicolaus de la Hire, è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Antonius Geoffroy.

M. Joannes-Franciscus Coutier, Pharmaciæ Professor.

M. Joannes-Baptista Mongin, Medicus Regis ordinarius.

M. Alexander le François

M. Alexius Littre, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Petrus-Joannes Burette, Professor Regius, & è Regia Scientiarum Academia.

M. Petrus Marais.

Proponebat Parisiis PETRUS MALOET, Claromontanus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1718, à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.